

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

V.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

ad te missum Wormatia, huc reversurum. Peramanter igitur oro, ut mihi per eum rescribas & certior me facias, an proximas literas meas per Lengefeldensem civem, ultima Februarii parte missas acceperis, & quo in statu cum tuæ, tum publicæ res in utraq; politia versentur. Spero, me apud proceres vestros in antiqua esse gratia. De Villacensium Ecclesia, quibus ministris uratur & qualem scholam foveat, quo in statu sit, item Labacensis Ecclesiæ & scholæ fortunam pervelim habere cognitam. Labacensium enim hoc anno prorsus nemo mihi scripsit. Spero tamen, me ab eis nihilominus amari. D. M. Oberndorfferum ex me salutatum cupio, cum reliquis tibi fidelibus. Qua reverentia in proximis, eadem in his generosum Dominum Paulum à Danhausen provincialem prætorem saluto, sicut & Dn. à Dietrichstein. Mea conjux tuam, sicut & filia mea Anna sponsa salutat. DEUS te cum omnibus tuis ab omni malo custodiat, Amen. Datum Ratisponæ raptim, antepenultima Calendarum Aprilis, an. 1590.

R. D. I.

Observantissimus

Jeremias Hombergerus, D.



V.

S. D. Reverende & clarissime vir, frater carissime.

Gratissimæ mihi literæ, quibus 27. Decembris adscripseras, etiam propter historiarum varietatem, & in iis recensendis diligentiam, fuerunt. Dedi autem infitori nostro, ad nondinas profecturo, literas ad te & Pistorium, quarum exemplum, his etiam adjunxi, ut de negociolo illo, per hunc tabellarium mihi respondere possis. Orationes de tribus Cæsaribus ex nundinis expecto. CHRONICON, ab initio & fine uno anno auctum, mitto. an isthic recudere velint, ipsorum arbitrio relinquo. De Filii imaturo obitu quod scribis, benevolentiam & *sympliciter* tuam agnosco. Sed intra decennium Dei beneficio nulla meorum funera vidi, & duos adhuc filiolos, Ulricum & Davidem, superstites habeo, qui me, dum DEUS volet, oblectant. Literas ad Eberzium, Wittebergam ad ministrum olim meum misi, qui se in manum eas Eberzo tradidisse rescribit. Quis Tragœdiæ, Casimiri conjugii motæ, exitus fuerit, doceri velim. Benè vale. Dominica *τῶν βαΐων*. 1590.

David Chytraus.

X x x x

VI.